



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

53. An Novitii includantur in hac Bulla sub nomine Religiosorum? Et ex doctrina hujus quæsttionis infertur, quid Novitii possint confiteri coram omnibus confessaris, ab Episcopo approbatis, & quod ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Quæ nunc arctata sit in hoc eorum facultas. Vide infra Resol. 22.

RESOL. LI

Virum Abbatisse possit concedere licentiam donandi Monialibus, quam potest Prælatus Regularis suis Religiosis?

Et an supradicta Abbatisse possit concedere Monialibus licentiam habendi peculium & facultatem conuertendi in proprios usus, quæ propriis operibus acquirunt? Ex p. 1. tr. 6. Ref. 22.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondendum est. Et ita docet Sanchez in sum. tom. 2. lib. 7. c. 19. num. 44. Faustus in thes. Relig. lib. 8. quest. 221. & alij. Et ratio est: quia Abbatisse habet liberam administrationem bonorum Monasterij, sicut Abbas, vt docet Panormitanus cap. 2. num. 4. de his, quæ sunt à Prælato. Vnde, secundum aliquos, potest dare licentiam expendendi decem ducatos; nam talem licentiam potest dare Prælatus, vt docet Corduba in sum. quest. 54. dub. ult. Lopez de contrah. lib. 2. c. 40. Nauarr. de resit. lib. 3. c. 1. p. 3. dub. 1. n. 169. Ioan. de la Cruz de statu Religionis, lib. 1. c. 3. dub. 5. concl. 1.

2. Imò potest Abbatisse concedere Monialibus licentiam habendi peculium, quando potest Superior Religionis illam concedere, & facultatem conuertendi in proprios usus, quæ propriis operibus acquirunt. Doctores, hæc omnia docentes, inuenies apud Sanchez, vbi supra qui benè limitat hanc doctrinam, nisi ex consuetudine, aut Constitutionibus illius Religionis, aut præcepto Superioris Prælati, arctata sit eius facultas. Vide Rodriguez in quest. regul. tom. 1. q. 17. art. ult.

RESOL. LII.

An Religiosi recipientes in Monasterijs aliquem, non occasione transitus, vel deuotionis, sed recreationis causa, incidant in penas huius Constitutionis Clem. VIII? Ex p. 1. tr. 6. Ref. 14.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Bartholomæus à S. Fausto in thes. Relig. lib. 8. quest. 224. n. 5. Sorbo in compen. priuileg. verb. dare, in explicat. huius Bullæ, & Paulinus Berti etiam in explicat. huius Bullæ, in 10. casibus post. p. 2. principalem. cas. ult. & nouissimè Bonacina in tract. var. disp. 3. punct. 1. num. 12.

2. Sed tu contrarium tene cum Francisco Sousa in expos. supradictæ Bull. §. 7. n. 91. vbi ita ait: *Nota que de señalar la ley tres causas de venir los seglares à los Conuentos, no se sigue, que si vinieren por otras, no se podra hospedarles: lo vno, porque aquellos casos son exemplos, y en los semejantes corre la misma razon, y lo otro, porque no esta en aquello la fuerza, ni intento de la ley, sino en evitar gastos sumptuosos, y excessiuos, y ordenar se exercite la hospitalidad con moderacion religiosa, y como esto se guarde, poco importa, que el huésped venga al Monasterio por vna de aquellas causas, ó por otra, aunque sea por solo yrse à recrear con los Religiosos. Ita ille. Vnde apparet, quàm benignè, & satis probè, hic Autor explanet in hac Bulla mentem Pontificis contra aliorum rigidas expositiones.*

RESOL. LIII.

An Nouitij includantur in hac Bulla sub nomine Religiosorum?

Et ex doctrina huius questionis inferatur, quod Nouitij possunt confiteri coram omnibus Confessariis ab Episcopo approbatis, & quod Nouitij non incidant in casus referuatos à Superiore Religiosorum. Ex p. 1. tr. 6. Refol. 17.

§. 1. **R**espondent & optimè, non comprehenduntur. Faustus vbi sup. q. 206. Filliuc. tom. 2. tr. 34. c. 30. n. 60. Sorbo in comp. priuileg. verb. dare, in expos. huius Bullæ, & alij. Et ratio est: quia Nouitij non dicuntur Religiosi, vt benè notat gloss. in Clem. Relig. verb. Relig. & ibi Abbas n. 1. & Imol. n. 10. Vide etiam Sanchez in sum. tom. 2. lib. 1. c. 5. num. 12.

2. Hinc licet Religiosi non possint confiteri, nisi Confessariis, ab eorum Prælatis designatis, & si aliter facerent confessio esset nulla: atamen Nouitij possunt confiteri omnibus Confessariis ab Episcopo approbatis, & Confessio erit valida. Ita aduersus Vecchium in praxi Nouit. disput. 20. dub. 3. n. 3. & Magalam in part. 1. lib. 1. c. 8. n. 20. dicendum est, & ita tenent Molfesius in sum. p. 1. tr. 7. c. 14. n. 31. Rodriq. qq. regular. tom. 1. q. 27. art. 11. Homobonus in exam. Eccles. p. 1. tract. 5. c. 2. q. 13. Henriquez lib. 6. c. 16. n. 3. in Gloss. litt. X. & lib. 7. de Indulg. c. 22. n. 7. in gloss. litt. Z. & V. & alij. Item, Nouitij non incidunt in casus referuatos à Superioribus Religionum, quidquid in contrarium aliqui asserant; E ita possunt absolui absque eorum licentia. Ita Homobonus de bonis de cas. refer. p. 1. cap. 32. Florenus p. 1. c. 2. n. 7. de cas. referuat. Emanuel. Sà verb. casus, n. 8. Naldus in sum. verb. Nouitius n. 7. Gratius in append. lib. 1. c. 7. n. 69. & alij.

RESOL. LIV.

Virum Milites D. Iacobi, Alcantare, Calatrane, &c. includantur in hac Bulla, ita vt sit illis interdictum donare?

Ex quo deducitur an predicti Equites sint vere Religiosi, & gaudeant exemptione gabellarum, & etiam nouitij? Ex p. 1. tr. 6. Ref. 23.

§. 1. **N**egatiuè respondendum est: nam expressè in Bulla Summus Pontifex illos excludit. Ex quo colligitur, hos Milites esse verè, & proprie Religiosos: quia exceptio firmat regulam in contrarium. Et ita docent plures, & insignes DD. apud Sanchez in sum. tom. 1. lib. 4. c. 16. n. 11. & apud Gathiam de beneficiis, tom. 1. p. 1. c. 4. n. 11. & præter illos nouissimè defendit mordicus hanc sententiam Paulinus Berti in explic. huius Bullæ, p. 2. principalis. Cenedo de pauper. relig. dub. 50. n. 15. Faustus vbi sup. q. 203. & alij, quidquid in contrarium asserant DD. apud Sanchez, vbi supra & præter illos Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 2. dub. 3. concl. 2. Petrus de Ledesma in sum. tom. 2. tract. 10. c. 8. dub. 3. concl. 2. Emanuel Sà verb. Relig. num. 41. Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. punct. 2. Molfesius in sum. tom. 2. tract. 6. c. 2. num. 30. Moneta de conferuat. ludi. c. 10. num. 389. Gratius tom. 1. conf. lib. 3. conf. 11. de Regularibus.

2. Sed tu tene primam sententiam: & sic, me confutente, Illustrissimus Senatus huius Urbis concessit dictis Militibus exemptionem gabellarum, quæ vulgò